



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Prolegomena sex, & duos priores libros De Necessitate Divinæ
Gratiæ Ad Honesta Opera

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1620

Cap. XVII. Vtrum præter actum fidei, sint in intellectu speculatiuo aliqui
actus supernaturales, propter quos gratia per se necessaria sit?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94086](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94086)

potest: ergo naturalis relatio fundata in precedenti electione super omnia non est simpliciter necessaria. Sola vero relatio habitualis ad summum potest requiri ad meritum, non vero ad substantiam actus, quia non est proprie relatio actus, sed potius personae; ergo quoad substantiam actus poterit talis actus esse in peccatore, licet in illo non sit meritorius. Cum autem tales actus in sua substantia sint supernaturales, & honesti, etiam in peccatore tales erunt. Tertio licet diceremus, esse necessariam aliquam relationem operantis ad ultimum finem, & beatitudinem supernaturalem, posset hæc fieri per virtutem spei, quam peccator habet, nam hoc modo est peccator orare potest vel elemosinam facere, ut aliquo modo prepararet sibi viam ad beatitudinem; ergo hoc modo non obstat, quominus peccator habere possit supernaturales actus morales.

28. Igitur veritas est, ad substantiam horum actuum non esse necessariam relationem operantis in ordine ad ultimum finem, sed sufficere ut actus fiant ex intrinseco motu, & obiecto formali talium virtutum. Nam ab illo habet actus suam substantiam, & speciem, & tunc ipsa natura sua tendit in talem finem, ut explicatur in superioribus. Est. Potest autem peccator moveri ad hos actus eliciendos ex intrinseco motu supernaturali, quia habet fidem, & supernaturalem regulam; ergo potest ex illa moveri ad operandum. Atque hoc modo potest peccator habere attritionem supernaturalem, potest et habere voluntatem moriendi pro fide prius justificetur, & sic de alijs. Igitur per se loquendo, gratia habitualis non est necessaria ad eliciendos hos actus, sed actuale auxilium potest sufficere, quoniam non negat Deus peccatori, si ipse velit, quod in se est, facere per propria auxilia. An vero hoc non obstante, hæc virtutes morales sint per se connexæ cum gratia sanctificante, & ab illa nunquam separantur; dicemus postea. Nunc solum dicimus, non esse necessarium, ut Deus statim infundat habitum virtutis peccatori elicienti unum, vel alium actum eius, quia nec ibi interuenit meritum de condigno, neque aliqua lex, vel promissio de hoc extat.

CAPUT XVII.

Utrum prater actum fidei sint in intellectu speculatio aliqui actus supernaturales, propter quos gratia per se necessaria sit?

1. **D**iximus de necessitate gratiæ ad proprios actus virtutum Theologicalium, & moralium diuini ordinis: nunc superest dicendum de quibusdam actibus, qui per antonomasiam dona Spiritus Sancti dicuntur. Quamuis enim omnia bona, quæ nobis à Deo communicantur, quatenus ab amore ipsius procedunt, qui Spiritui Sancto appropriatur, possint late vocari Spiritus Sancti dona, & specialius ea, quæ ad gratiam pertinent, & ad salutem æternam conducunt: specialissime vero appropriatum est à Theologis hoc nomen quibusdam supernaturalibus perfectionibus, quæ iustis à Spiritu Sancto dantur, de quibus tractat generatim D. Th. 1. 2. q. 68. & speciatim 2. 2. in tractatibus de singulis virtutibus, quibus dona annexantur: alij vero Theologi in 3. d. 34. & 35. qui præcipue tractant de habitibus, & per occasionem aliquid attingunt de actibus: nobis autem visum est, (sicut de virtutibus moralibus dixi) ad complementum huius libri, qui est de necessitate gratiæ ad actus supernaturales, oportere de his actibus hoc loco sermonem habere, & per illorum cognitionem ad ea, quæ de habitibus dicenda sunt, viam parare.

2. Prius autem scire oportet disputationem hanc de actibus donorum fundatam esse à Theologis in loco Iſai. 11. *Requiescet super illum spiritus Domini spiritus sapientie, & intellectus, spiritus consilij, & fortitudinis, spiritus scientie, & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini.* In

quibus numerantur septem speciales perfectiones ad actus intellectus, & voluntatis pertinentes. Nam primum illud membrum. *Requiescet super illum spiritus Domini*, non continet specialem effectum, sed quatenus ad cetera dona, quæ sunt quasi ad species. Sic Tertul. lib. 5. contra Marcion. c. 8. *Requiescet* (inquit) *super illum spiritus Domini. Dehinc species eius enumerat. spiritus sapientie, &c.* Videtur autem ibi nominari effectus sub nomine causæ, ut donum à Spiritu Sancto procedens spiritus Domini vocetur. Vnde Nazianz. orat. 43. in Sanct. Pentecost. hunc attingens locum. *Iſaias* (inquit) *ut opinor, spiritus operationem spiritum appellare solet.* Vel certe ipse spiritus Domini à suis effectibus, & donis multipliciter denominatur, ut Hieronym. Cyril. & Origen. ibi exponunt: idemque spiritus Domini dicitur requiescere in eo, cui confert dona sua, vel certe ipsa dona, seu effectus spiritus, appellantur à Prophetis spiritus, ut denotetur, fieri in nobis per motionem Spiritus Sancti adeo singularem, & excellentem, ut per antonomasiam spiritus Domini vocentur.

Notandum præterea est, ad litteram solū de Christo Prophetam loqui, & in illo prædicare requiescentiū De Christo Spiritum Sanctum cum his donis suis, quod manifestum est ex contextu: *Egredietur virga de radice Iesse, & quisque pro- flos de radice eius ascendet.* Per virgam enim Virginem, & per florem Christum Sancti intelligunt, Hieronym. & Cyril. ibi August. libr. 3. de Symbolo ad Catechum. cap. 4. Subiungitur autem, *Et requiescet super eum spiritus Domini*, igitur super florem Christum, ut iidem Patres exponunt, spiritus cum donis suis requiescet, ut etiam optime Bernard. serm. 2. de Annuntiat. Cyprian. lib. ad Quirin. c. 11. Nihilominus tamen verba illa ad ceteros iustos iidem Patres extendunt, vel quia *men hominis* Christus non sibi soli, sed nobis etiam illa accepit, vel quia de plenitudine eius omnes accepimus, in Christo enim fuerunt illa dona cum plenitudine tamquam in exemplari. Et hoc sentit Chrysost. in Psalm. 44. ubi eundem Iſaiæ locum de Christo tractans, ait, *Nos de plenitudine eius accepimus.* Et infra. *Sed illic quidem est integra, & vniuersa gratia, in hominibus autem parum quid, & gutta ex illa gratia.* August. etiam serm. 199. de Tempore capit. ult. dicit, nos repleti septiformi spiritu, sicut Iſaias prophetauerat, & prædicta verba subiungit. Item serm. 17. de Sanctis 1. de Annuntiat. dicit, Iſaiam ibi septem illa notissima dona spiritualia commendare, quæ nobis cum Christo communia esse intelligit. Addit vero, Christo tanquam magistro, & doctori attribui, incipiendo à sapientia, descendendo vsque ad timorem, id est, humilitatem, in nobis vero debere à timore incipere, ut ad sapientiam perueniatur. Quem discursum latius prosequitur lib. 2. de Doctrin. Christian. c. 7. & lib. 1. de Sermonibus Domini in monte cap. 4. & fusiuss Ambros. Apocal. 4. vel alius sub eius nomine.

Simili modo Hieronym. in Iſaiam, hæc septem dona intelligit, prædicta esse futura in Christo tanquam in capite, ut intelligamus, quod absque Christo nec sapiens quis esse potest, nec intelligens, nec consiliarius, nec fortis, nec eruditus, nec pius, nec plenus timoris Dei. Et Cyril. libr. 2. in Iſai. parum à principio, eadem verba explicans, ait, Spiritum Sanctum in se habuisse in Christo, velut in ipso primo, & quasi in primitijs generis posterioribus, ut & in nobis deinceps conquisceret, ac maneret, ac in credentium mentibus cum voluptate habitaret. Ambros. etiam Psalm. 118. Octon. 5. in illa verba. *Initium sapientie timor Domini*, in nobis septem illos effectus Spiritus declarat, & lib. 3. de Sacram. cap. 2. dicit, omnibus baptizatis infundi Spiritum, cum omnibus his virtutibus. Gregor. vero lib. 1. Moral. c. 12. aliàs 28. dicit, per conceptionem bonæ cogitationis illas septem virtutes in nobis oriri, quas Iſai. numerat, quas etiam ibi à virtutibus Theologicis distinguit. Et Homilia 19. in Ezechiel. dicit nobis aditum ad cœlestē regnū aperiri per septiformē gratiam, quam Iſaias in ipso nostro capite, vel in eius corpore enumerat. Et optime Cyprian. lib. de Cardin. Christi operibus, cap. de Vnct. Chrisim. *Ex huius* (id est, Spiritus Sancti) *unctione*

1. De Spiritu
8 donis agi-
dam.

2. Colliguntur
spiritus S.
dona ex
scriptura.

3. De Christo
Domini do-
na
quisque pro-
pheta.

Ad alios 7 ad
ceteros iustos
men homi-
nes exten-
ditur.

4. Idem docent
alii Patres.

vnctionis beneficio, & sapientia nobis, & intellectus diuinitus datur, & consilium, & fortitudo calens illabitur scientia, & pietas, & timor inspirationibus supernis infunditur. Et alios Patres retuli, i. to. in 3. p. disp. 20. sect. 1. Hinc ergo omnes Scholastici infra allegandi conueniunt, verba illa ita fuisse de Christo quasi per antonomasiam dicta, vt suo modo, & per participationem ad omnes iustos pertineant, nam in eis etiam Spiritus Sanctus donum sapientiæ, & cetera operatur.

Vnus Orig. hom. 6. in Numer. de solo Christo verba illa interpretatur, ita vt reliquos etiam Prophetas, & Sanctos excludat, quia licet de alijs dicatur, quod requieuit in illis spiritus Dei, nihilominus supra nolumus alium spiritum Dei requieuisse septemplex hac virtute describitur. Quod latius profecutur homil. 3. in Isai. Ad hanc sententiam videtur accedere Tertul. lib. contra Iudeos c. 9. vbi post verba Isaiæ subiungit. Neg. enim vlli hominum vniuersitas spiritualium documentorum competeat, nisi in Christum. Quod repetit lib. 3. contra Marcion. cap. 17. Veruntamen non videntur Orig. & Tertullian. loquuti in sensu alijs Patribus contrario, sed Origen. præcipue facit vim in verbo *Requieuit*, conferendo illud cum verbo, *manendi*, quo dictum fuit Ioanni Baptista, *Super quem videris spiritum sanctum descendente, & manentem* Ioan. 1. Nam illis verbis significatum esse dicit, in nullo ita requieuisse, & mansisse spiritum Domini, sicut in Christo, quia ab initio conceptionis, & semper sine interruptione in summa perfectione in illo requieuit. Vnde etiam volunt, in nullo fuisse dona spiritus cum illa plenitudine, & perfectione, quæ fuit in Christo, non tamen negant, eadem septem dona alijs iustis per Christum, & iuxta vniuersi cuiusque mensuram communicari.

De his ergo donis, cum certum sit, in actibus primo consistere, vel per actus exerceri, certum etiam est, esse actus gratiæ specialis, & non posse sine auxilio gratiæ perici eo modo, quo per Prophetam prædicatur, & virtute promittuntur. Ita sentiunt omnes allegati Patres, & in eo etiam Theologi conueniunt, nam à Prophetâ satis aperte significatur. Tum quia vocando hæc dona spiritus Domini, aut ab eis denominando spiritum Domini, satis indicat, non inueniri in nobis perfectiones illas, nisi ex peculiari influxu, & operatione Spiritus Sancti. Tum etiam quia prius de Christo dixit Prophetâ. *Egredietur de radice Jesse*, & addit. *Et requiescet super eum spiritus Domini*, vt explicaret, hæc dona diuinitus fuisse addenda Christo in humanitate eius vltra omnem perfectionem eius, vt pura quadam natura, & creatura existeret, multo ergo magis in nobis per illa verba significatur dona superantia naturam. Hoc ergo supposito, superest inquirendum, quales sint isti actus donorum, an scilicet sint in sua substantia supernaturales, & an sint distincti ab actibus virtutum, de quib. hætenus tractauimus. Quoniam vero ex illis actib. quatuor ad intellectum pertinent, scil. sapientia, intellectus, scientia, & consilium, & tres ad voluntatem, fortitudo, pietas, & timor, in quibus distinctæ sunt difficultates, & modi explicandæ rationes eorum longe diuersi, ideo in hoc ca. de tribus intellectualibus donis, quæ magis ad speculationem partem intellectus pertinent, in capite vero 18. de alijs donis moralibus, seu ad affectum pertinentibus dicemus, & inde tandem patebit, quid de consilio sentiendum sit.

Multi ergo ex antiquis Theologis loquentes generaliter de donis docuerunt, non esse distincta à virtutibus, sed ad illas reduci, seu esse idem cum illis respectu, & seruata proportionem. Ita censuit Scot. in 3. d. 34. q. vnic. §. *Ad istam questionem*, & ibi Gabr. art. 2. Maior ibidem qu. 1. & ibi Palaci. disp. vnic. Guillel. Paris. libr. de Virtutib. fol. 73. col. 1. Ceteri etiam scilicet Alti-siod. libr. 3. Summæ tract. 11. cap. 1. & sequentibus ille vero licet quoad virtutes morales hanc doceat sententiam, quoad dona intellectus aliter sentit, vt infra videbimus. Et eodem modo opinatur Gerson. Ab-

stra. 28. lit. E, in tracta. de Donis Spiritus Sancti. Eandemque sequuntur sententiam aliqui ex nouis interpretibus D. Thom. ad 1.2. q. 68. Fundamentum huius sententiæ est, quia nulla potest ratio sufficiens distinctionis specificæ inter actus virtutum, & donorum assignari, & non sunt multiplicandi actus sine causa sufficienti, ac necessitate. Antecedens de actibus, qui ad intellectum spectant, ita suadet. Quia omnis actus intellectus consistit in apprehensione, vel iudicio, sub iudicio includendo non solum speculatiuum, sed etiam practicum, quod interdum imperium appellatur (nam reuera imperium, vt à iudicio distinctum, non est actus distinctus à iudicio practice practico, nisi per modum loquutionis, vt alijs locis ostendi.) Veruntamen vt ab illa quæstione abstrahamus, si talis actus datur, sub iudicio nunc illum comprehendimus. Actus autem supernaturalis non potest in sola apprehensione consistere, quia in hac vita secundum legem ordinariâ, omnis cognitio intellectualis, quantum ad apprehensionem fit per species acquisitas, & ita in substantia est actus naturalis, & solum quoad modum potest interdum perfectius, vel velocius, aut distinctius fieri, quam fortasse naturalibus viribus possit. Vnde non est verisimile, illos actus, qui ab Isaiâ numerantur, vel aliquem ex illis in sola apprehensione consistere, quia sola apprehensio est actus valde imperfectus: Prophetâ autem illos spiritus tanquam eximia Spiritus Sancti opera enumerat. Opporret ergo, vt quilibet illorum actuum sit aliquid intellectuale iudicium. Vnde et oportet esse certum, & firmum, quia iudicium tantum opinatiuum, & valde imperfectum est, & non potest esse ex propria, & specialissima motione Spiritus Sancti, cui illi possit subesse fallum, & præterea non potest cum proprietate, intellectus, sapientia, aut scientia vocari. Deinde tale iudicium certum non potest esse euident in nobis viatoribus, alioqui esset propria scientia, & consequenter esset per se infusa, quia supponitur esse supernaturalis actus, & de rebus captem humanum superantibus, talis autem scientia non infunditur omnibus iustis: imo nulli datur ex lege ordinariâ, sed alicui forte ex priuilegio; ergo tale iudicium non potest esse nisi certum, & obsecrum; ergo non potest esse, nisi vel actus fidei, vel actus manans à fide, vt est assensus certus Theologicus, vel assensus prudentiæ infuse.

Ex hoc ergo discursu videtur concludi actus illos intellectus, sapientia, scientia, & consilium non esse distinctos ab actibus virtutum infusarum. Quomodo autem ad illos pertineant, non eodem modo à dictis authoribus explicatur. Scot. enim putat, Sapientiam, aut per se de qua Isaiâ est loquutus, non esse actum intellectus, aut in hac sed voluntatis, nempe actum charitatis, qui sapientia vocatur; quatenus dat scientiæ, & fidei saporem, à quo scientia sapientia nominatur: tanquam sapida scientia. Confirmat, quia vbi cunctis Scriptura loquitur de sapientia, vt de dono proprio iustorum, per sapientiam intelligit charitatem. Citat Scotus verba Sapientis Proverb. 14. *Beatus vir, qui in sapientia morabitur*. Addi possunt illa Sapient. 1. *In malenolam animam non introibit sapientia*, & cap. 7. *Neminem diligit Deus, nisi eum, qui cum sapientia inhabitat*. Quæ duæ sententiæ videntur æquialere illis duabus Ioan. 1. canon. cap. 4. *Qui non diligit, non nouit Deum, quoniam Deus charitas est*, & *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*. Vnde Lactant. libr. 4. de Sapientia cap. 3. & 4. ait, sine virtute, id est, charitate, nullam esse veram sapientiam. Et Bernard. in dicto serm. de Septem donis, sapientiam opponit maliciæ, vnde videtur per illam charitatem intelligere. Expressius vero Augustinus in epist. 120. de Grat. noui testam. capit. 20. ait, *Sapientia est charitas Dei, nec diffunditur in cordibus nostris, nisi per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*. Addit autem Scot. per intellectum, & scientiam fidem significari, vocarique intellectum, quatenus est simplex assensus articulorum in fidei, scientiam vero quatenus explicite ad omnes fidei quæ sit verita-

5.
Expendun-
tur aliqui
Patres con-
trarium opi-
nantes.

6.
Asserit.
Hæc dona si-
ne gratia non
persequuntur.

An hæc do-
na sint super-
naturalia,
& à virtuti-
bus distincta
Hæc dona
partim ad
intellectum,
partim ad
voluntatem
spectant.
De quibus in
hoc cap.
agendum.

7.
1 opin. ne-
gans distin-
gui à virtu-
tibus.

veritates extenditur. Et hinc vltimus sub sapientia comprehendit spem, quia sapientia (inquit) mihi Deus in se, & ut mihi bonum, & priori modo sapientia est charitas, posteriori spes. Coactus autem fuit Scotus, has duas virtutes Theologales sub sapientia comprehendere, quia sub illis verbis Isaie non nisi septem virtutes, tres Theologales, & quatuor Cardinales contineri censet. Et cum vnam fidem duobus nominibus intellectus, & scientia significari dixisset, vnam sapientiam charitatem, & spem intelligere compellitur. Nam Concilium dicit esse prudentiam, & alias tres voces tribus moralibus virtutibus appetitiuis accommodat, ut postea videbimus. Et hanc sententiam in omnibus sequitur ibi Gabriel notat. 4. & Palacios supra. Maior vero sapientiam, scientiam, & intellectum ponit in intellectu speculativo, & dicit, non differre à virtutibus intellectualibus, earum tamen rationes non amplius explicat.

Quid item
Constat?

9.
Papa sententia affirmans.

Emulatio
mentum.

Quomodo
huius dona à
virtutibus
distinguan-
tur.

10.
Inductio
probatur
per sapientiam.
Sapientia
non est for-
maliter cha-
ritas.

Nihilominus communior sententia Theologorum hæc dona à virtutibus distinguit, ut videlicet in D. Thoma 1.2. q. 68. generatim, & 2.2. speciatim in varijs locis infra referendis. Eumque illis locis eius discipuli sequuntur. Idem habet D. Thomas in 3. d. 34. & ibi Capreol. q. vnic. Hyspal. qu. 1. art. 3. & ibidem Bonau. art. 1. qu. 1. artic. 2. licet obscure, & cunctanter, sicut & Durand. qu. 1. & 2. Richard. vero quæst. 1. illam sequitur, & dicit, esse commune, & late ibi Albert. & dist. 35. specialiter de donis intellectus, tenent etiam Henricus quodlibet 4. q. 23. Anton. 4. part. tit. 10. cap. 1. & 2. Abulens. Matth. 5. q. 81. & ex modernis Azor tom. 1. lib. 3. cap. 30. q. 5. Valent. 2. p. disp. 5. Aragon. & Bañez 2.2. q. 8. Fundamentum autem præcipuum huius sententiae est, quia Scriptura loquitur de his donis tanquam de septem actibus proprijs Spiritus Sancti, & ideo vocat illos spiritus, ut D. Thomas ponderat, vel certe ipsum Spiritum Sanctum specialiter ab illis denominat, ergo significat esse distinctos ab actibus virtutum: ergo magis consentaneum est Scripturæ, ac proinde probabilius, hos esse actus distinctos. Modus autem distinguendi hos actus ab actibus virtutum, varius est apud citatos Theologos, quos magna ex parte refert D. Thomas dicta q. 68. art. 1. eo quod refertur, at tandem concludit, hos actus differre ab actibus virtutum, quia sunt peculiari, & specialiori modo ex motione Spiritus Sancti. Quis autem sit iste modus, ibi non explicat, nec satis potest in generali declarari, nisi ad singula dona descendendo, quod capitibus sequentibus fiet. Nunc specialiter de actibus intellectus speculativi ostendendum est, non posse conuenienter virtutibus attribui, & in primis supponimus ut per se notum, hos actus non pertinere ad virtutes morales, ex quibus tres pertinent ad effectum, quarta ad practicum intellectum; solum ergo de Theologalibus videndum est.

Et primo de charitate omnes pro cōperto habent, intellectum, ac scientiam ad illam non spectare, probemus ergo, etiam sapientiam non esse formaliter, ac proprie ipsam charitatem. Quia sapientia proprie sumpta perfectio est intellectus, & rationis, ut inter Philosophos manifestum est, & in vñu Ecclesiæ etiam est certum. Vnde est illud Augustini serm. 3. de Tempore. Anima vivit, ratio sapit, nam sapientia ad rationem pertinet, & ratio sola ipsam sapientiam suscipit. Et quamvis in vñu Scripturæ vox illa multiplicem significationem habere videatur, & interdum videatur attribui voluntati, ut Iob. 28. Ecce timor Domini ipsa est sapientia, vel ut ex græco alij legunt, Pietas ipsa est sapientia, nihilominus proprie & in rigore sumitur pro aliquo dono intellectus, ut 3. Reg. 3. Salomon à Deo postulavit, Cor docile, ut iudicare posset populum, & discernere inter bonum & malum, & tamen dixit illi Deus, quia postulaisti tibi sapientiam, &c. & Baruc. 3. Viam sapientia nescierunt, neque commemorati sunt semitas eius. Et infra. Quia non habuerunt sapientiam, interierunt propter suam insipientiam, ubi sapientia in insipientia opponitur, hæc autem

est error intellectus; sapientia ergo est vera Dei cognitio, vel via disciplina, ut ibidem dicitur.

Denique est optimus locus Sapient. 7. Optatus, & datus est mihi sensus, inuocavi, & venit in me, prout sapientia, ubi quod in priori parte sensum vocauerat, in posteriori spiritum sapientia appellat; sensus autem pro intelligentia ponitur: ergo & sapientia. Præterea siue dicamus auctorem illius libri esse Salomonem, ut multi probabilissime putant, siue compositum esse ex sententia Salomonis, ut alij etiam credunt, certum est in his verbis alludere ad orationem ab ipso factam 3. Regum 3. ubi sapientiam intellectualem postulavit, ut vidimus, idque euidentius colligitur ex toto cap. 9. eiusdem libri. Vnde cum paulo post in 7. de eadem Sapientia diceret. Et proposui illam regni, & cetera, quæ in eius estimationem exaggerat, concludit, Et proposui pro luce habere illam, quoniam inextinguibile est lumen illius. Lux autem, & lumen ad intellectum pertinent, ut per se notum est. Et additur postea. Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius, & latius sum in omnibus, quia antecederat me ista sapientia, &c. Per quæ verba declarantur alia loca, in quibus perfectiones affectus tribuuntur sapientiæ, vel sapientiæ nomine appellantur, loquutione causali, non formali, quia diuina sapientia tanquam lux antecedens & charitatem inducit, & bonorum omnium mater est. Nam ut infra ibidem dicitur, Qui in fide sapientia bene vñ sunt, participes facti sunt amicitia Dei, propter disciplinam dona commendat. 1. Vbi & sapientia ab amicitia Dei distinguitur, & hæc per illam acquiri dicitur, & cetera etiam dona sanctitatis quasi fructus discipline sapientiæ esse dicuntur. Et de hac sapientia Dei, & iustorum, vel Ecclesiæ sæpe loquitur Paulus eam ad intellectum, & cognitionem referens, ut videri potest 1. Corinth. 1. & 2. & sæpe alijs. Denique à contrario id confirmari potest, quia stultitia, & error imperfectiones sunt intellectus, ait autem Gregorius lib. 2. Moral. cap. 26. alijs 36. sapientiam dari, ut stultitiam depellat, ergo.

11.
Probatur
amplius ex
alijs locis.

Confirmatur.

Neque obstant alia testimonia in contrarium: nam intelliguntur causaliter, quatenus charitas causat sapientiam, vel ab illa causatur. Maxime vero ita loquitur Augustinus, ita enim dicit, charitatem esse sapientiam, sicut scriptum est in libro Iob. 28. Petas ipsa traxit ad se sapientia. Porro (ait Augustinus) pietas culus Dei est, ducta, nec colitur nisi amando: Summa ergo sapientia est in illo præcepto: Dilige Dominum Deum tuum. Ac per hoc sapientia est charitas Dei. Per hoc, ait, id est, quia vera sapientia ad charitatem inducit, & charitas sapientiam fouet. Probat etiam dicta testimonia mentis intelligentiam non habere statum, nec mereri nomen sapientiæ, nisi cum vero Dei cultu, & amore iuncta sit. Veletem suadent, esse aliquem spiritum sapientiæ, qui non nisi diligentibus Deum tribuitur: non vero quod ipsa sapientia sit formalis amor. Vnde nihil refert, quod sapientia à sapere denominetur, quam saporem efficit delectatio charitatis, vel spei, quia aliud est, vnde nomen imponitur ad significandum, aliud quod significat, ut est vulgare. Sic enim licet nomen sapientiæ fortasse ab illo sapore spirituali sumptum sit, fortasse tanquam ab effectu perfectæ sapientiæ, nihilominus res significata per illud nomen, perfectio est intellectus, quæ vel spem, & charitatem gignit, vel ab illis gignitur, non tamen est formaliter spes, aut charitas. Nec in Patribus inuenietur vquam nomen sapientiæ secundum propriam rationem eius his virtutibus attributum.

12.
Explicatur
Scriptura
loca in con-
tra hunc ad-
ducentia.

Expenditur
sapientia
etymologia

Quocirca sicut Scotus intellectum, & scientiam vocat fidem, ut nullum sit in intellectu supernaturale donum præter fidem, ita posset & fortasse verius dicere, eandem fidem sapientiam vocari, nam sicut ipse vocat fidem intellectum, & scientiam secundum diuersas rationes, vel conceptus in ad quatuor illas voces vni fidei accommodando, ita posset eandem fidem

13.
Probabiliter
sapientia ad
fidem revo-
cari posset
Scoti.

fidem sapientiam vocare, rationes illas aliter interpretando. Nam eadem cognitio nomen fidei fortitur quasi ex obiecto formali, quatenus est assensus in auctoritate Dei dictis fundat⁹; alias ergo tres denominationes potest sumere ex materia, vel ex modo operandi, vel ex effectib⁹. Dicitur enim intellectus, quatenus est simplex intelligentia diuinorum, illis præbendo assensum sine discursu, quasi primis principiis sub diuino lumine. Vocatur autem sapientia, quatenus Deum ipsum, eiusque attributa contemplatur cum aliquo discursu formali, vel virtuali per rationes proprias, & supream veritates diuinas cognoscendo, v.g. Deum, quia est purissimus actus, esse immutabilem, & infinitum, ac omnipotentem, ac summe perfectum. Et hinc etiam illum considerat vt summe amabilem, colendum, &c. Scientia vero dicitur, quatenus veritates etiam creatas, & reuelatas amplectitur, & ex illis ad Deum ascendit, & ex illis iudicat, esse etiam colendum, &c. vel è conuerso eandem fidem, quatenus in ipsis mysterijs ad humanitatem Christi, vel alia mysteria creata pertinentibus, versatur, in eis vnam veritatem ex alia intelligit, vt Christum habere voluntatem humanam, quia est homo, vel quid simile. Sic enim non est nouum eandem rem diuersis nominibus propter diuersas considerationes appellare, vt intellectus vocatur ratio superior, & inferior, & memoria, &c.

14. Sed nihilominus multo verifimilius videtur, nullum ex donis cum fide confundi, seu esse eundem actum cum illa. Primo quidem quia illa dona Christo primitus attributa sunt, qui non habuit fidem: illa etiam in Angelis sanctis inueniri tradit Ambros. lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 20. Vnde etiam communiter docent Theologi, hæc dona in beatis manere, cum Magistr. in 3. dist. 34. Video responderi posse in Christo spiritum sapientiæ, scientiæ, & intellectus non fuisse actus distinctos ab actibus scientiæ beatæ, vel potius infusæ, quatenus per illa lumina iudicat de rebus diuinis, tanquam de principiis, & tanquam de conclusionibus, vel per altiores, vel per inferiores causas, aut media. In nobis autem hæc inueniri inferiori modo, & ratione, ac subinde per fidem. Quia non oportet, vt illi actus numerati ab Isaia, inueniantur in nobis & in Christo secundum eandem rationem, id est, eiusdem speciei essentialis, sed satis est, quod sint secundum aliquam participationem, ratione cuius eadem nomina sortiantur. Quia Patres supra citati de his perfectionibus loquentes, dicunt fuisse in Christo secundum plenitudinem, in nobis vero secundum quandam inferiorem participationem. Et iuxta hunc modum consequenter dicitur, hæc dona secundum rationes generales sapientiæ, &c. futura esse in beatis, commutata vero in alia perfectioris, & altioris rationis illi statui magis proportionata. Quæ quidem responsio non potest euidenter impugnari, re tamen vera Theologi non sunt in illo sensu loquuti, quando dixerunt, actus illos donorum manere in patria, nec Patres illa tribuunt Christo ratione scientiæ beatæ, aut infusæ, sed tanquam diuersas perfectiones eas numerant, vt dixi etiam in dicto loco tertiæ partis, & ideo cum possint aliter illa dona intelligi, vt mox videbimus, & id ad maiorem gratiæ perfectionem, & amplitudinem pertinere, non est cur hos actus cum actu fidei confundamus.

15. Accedit, quod hæc dona censentur esse propria iustorum; ergo non manent in peccatoribus, etiam si in eis maneat fides; sunt ergo actus distincti. Item in Scriptura semper innuitur distinctio istorum actuum tam inter se, quam à fide. Nam Salomon iam fidem habebat, cum inuocauit, & datus est illi spiritus sapientiæ. Et simili modo David orabat, Da mihi intellectum, Psalm. 118. Et de iusto dicitur Eccles. 15. Cibauit illum pane vite, & intellectus, & aqua sapientiæ salutaris potabit illum. Et infra. Implebit illum spiritu sapientiæ, & intellectus. Et capit. 39. de iusto dicitur. Si enim Dominus ma-

gnus voluerit, spiritu intelligentiæ replebit illum. Et Eccles. 24. de primis parentibus: Creauit illis scientiam spiritus. Quæ omnia, & similia multa, quæ de his donis, seu perfectionibus in Scripturis leguntur, non est verifimile, propter solam fidem, vel eius augmentum fuisse dicta. Præterquam quod illa ratio distinguendi in actu fidei illas denominationes, est voluntaria, & non satis constans. Quia fides non solum ita denominatur in ordine ad rationem credendi, sed etiam in ordine ad rem creditam. Et in ordine ad illam distinguui solet fides ab intelligentiâ non solum nomine, sed etiam perfectione. Vnde est illud Isaï. 7. iuxta Septuaginta, Si non credideritis, non intelligetis, & in pura fide non cognitioper causas altiores vel inferiores, sed simplex assensus per Dei auctoritatē. Oportet ergo, quas perfectiones, intellectus, sapientiæ, & scientiæ aliquos act⁹ esse à fide distinctos, ac subinde ex hac parte dari actus aliquos intellectus supernaturalis, distinctos à fide, qui sine auxilio gratiæ haberi non possunt. Quales autem sint, & quomodo à fide, & inter se distinguantur, in sequentibus capitibus exponetur.

CAPVT XVIII.

Quis sit actus sapientiæ specialiter Spiritui Sancto attributus.

Suppono non esse sermonem de extraordinario modo scientiæ, & sapientiæ per se infusæ, quam Deus potest conferre de veritatibus ipsis diuinis, & dat quasi supernaturalibus, vel etiam de naturalibus, & futuris, &c. prout illas contulit plenè animæ Christi, & ex parte dedit Salomoni, & forte alijs ex priuilegio. Hæc enim scientia non spectat ad ordinem gratiæ gratum facientis, de qua nunc tractamus. Et eadem ratione hic non agitur de actu prophetiæ, quia spectat ad gratias gratis datas, & de distinctione illius à fide alibi dicendum est. Agimus de his actibus prout cōmuni lege censentur dari fidelibus vitam gratiæ habentibus. Inter quos Isaïas primo loco posuit sapientiam, & ideo ab illa initium sumemus.

Primo igitur de actu Sapientiæ variè loquitur D. Thomas: nam 1. 2. qu. 68. art. 4. absolute dixit, donum sapientiæ dari, vt perficiat intellectum speculatiuum in iudicando ex motione peculiari Spiritus Sancti, iuxta quam sententiam actus sapientiæ nihil aliud est, quam iudicium intellectus speculatiui ex diuino instinctu immisum. Hæc autem declaratio procul dubio non sufficit, primò quia totum id conuenit actui fidei: nam est actus intellectus speculatiui quoad iudicium de rebus propositis vt reuelatis à Deo, & elicitis ex peculiari Spiritus Sancti motione, & instinctu, vt late in præcedenti libro ostensum est. Secundo multo magis id conuenit actui intellectuali prophetiæ, nam est iudicium de veritate speculatiua ex singulari motione diuina, vt constat. Tercio actus etiam scientiæ infusæ in Christo est iudicium speculatiuum ex motione Spiritus Sancti, non n. potest aliter fieri, cum sit supernaturalis, & tamen distinguitur à dono sapientiæ, etiam in ipso Christo. Quarto iuxta illam doctrinam omne iudicium speculatiuum ab Spiritu Sancto immisum intellectui, erit donum sapientiæ, seu actus eius: consequens nulla ratione videtur admittendum, aliàs iudiciū de rebus creatis, & inferioris ordinis, seu non pertinentib⁹ ad salutem, pertinebit ad vnū ex proprijs donis Spiritus Sancti v. g. æ alia sint paria, vel imparia à Spiritu Sancto iudiciū, vel quid simile; consequens autem est plane contra mentem Scripturæ, & Sanctorum de donis Spiritus Sancti loquentium. Ad hæc vero generatim responderi potest, D. Thomam in illo loco non intendisse ex æte definire, aut declarare propriam rationem doni Sapientiæ, sed tantum cōmuni quadam ratione illud